

Franckesche Stiftungen zu Halle

Specimen Primum Rationvm, Qvibvs, Qvod Et Cvr Mors Gratiae Sit Terminvs, Qvi Peremtorivs Appelatur, Ostenditur

Hopf, Georg Caspar

Meiningae, [1764?]

VD18 13472917

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-197173](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-197173)





65. E. 12

65 E. 12

SPECIMEN PRIMUM

RATIONVM,

QVIBVS,

QVOD ET CVR MORS GRATIAE SIT TERMINVS,
QVI PEREMTORIVS APPELLATVR,
OSTENDITVR,

QVO,

ORATIONES VALEDICTORIAS

D. XXVI. APRIL. MDCCLXIII.

HORA IX.

IN ILLVSTRI LYCEO HABENDAS,

VT,

QVI MVSARVM ET REI SCHOLASTICAE
FLORE DELECTANTVR,
GRATIOSE, BENEVOLE ET HVMANITER AVDIANT.

PRO EO, AC PAR EST,
ROGAT ATQVE OBSECRAT

GEORG. CASP. HOPF,

ILLVSTR. LYCEI INSPECTOR.



MEININGAE,
TYPIS HARTMANNIANIS.



Spei, fidissimae nec umquam omnino cedentis ab hominibus in [per-
ferendis tam multis, quibus haec vita conflictatur, miseris et cala-
mitatibus comitis, non a Pandora quidem, deorum ut somniant
cultores a) nobis reservatae, sed munificentissimi potius [numinis gratia
concessae, tantae profecto inde ab initio fuerunt illecebrae, complures
ut eiusdem ditionem vel trans mortis tempus et fines voluerint proroga-
tam, ad se aliosue ipsius fidelitate contra horrores, quibus damnatio sce-
lestam sequutura vitam nec umquam finienda perfundit mortales, mu-
nientos.

Numquid aliud est fundamentum, in quo innititur otiosorum aut,
si mauis, lucri cupidorum inter pontificios ingeniorum *purgatorium*, b)
ut vocant, commentitium, nisi inanis de impetranda etiam post mortem,
aliis intercedentibus, venia persuasio? Quid vulgatae iam ab Origene c)
et nostra memoria acerrime cum propugnatae tum oppugnatae de *aeter-
no euangelio* d) sententiae maiorem conciliauit veri speciem, praeter spem
meliorum

a) Quam fabulam verbis bene multis commemorat HESIODVS, *Ei. x. H. v. 60-140*, ubi
tandem circa finem v. 96 sqq. ita canit:

Μὲν δ' αὐτῶν ἑλπίς ἐν ἀνθρώποις ὁμοίη
ἔνδον ἐμμενέει πῖθ' ὑπὸ χέλευσιν ἔδδ' ὑραζε
ἔξέπτη κ. τ. λ.

b) Vid. IOAN. GERHARDI *loc. theol.* T. VIII p. m. 199 et 288. *Summ. venerab.*
WALCHII *Einleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der Evangelischen
lutherischen Kirche*, im andern Theil S. 377. nec non Joh. Mich. Niehl's
historisches Kirchen- und Rezer-Lexicon S. 647. Ceterum, de purgandis post
mortem animis opinionis originem et progressum bene ostendit KROMAYERVS in
Theologia positiuo-polemica p. 1180.

c) Conf. HVETII *Origeniana*. Contrarium probatum iuerunt IACOB. MERLINVS
in *Apologia pro Origene* et SIXTUS SENENSIS lib. v. *Biblioth.*

d) Copiosissimum et defensorum huius rei et aduersariorum indicem vide sis, in *Lexi-
co uniuersali*, vol. LV. tit. *Wiederbringung aller Dinge*.

meliorum temporum e) nullis fere limitibus circumscriptam, adeo, vel in orcum detrulsis reditum vt patefecerint ad caelum?

Quibus quidem et aliis eiusdem fursuris commentis optime obuiam iri perspecta, duce scriptura sacra, veritate et confirmata, quod terminus gratiae sit statuendus supremus, non singulare quidem hominis vitam adhuc agentis momentum, f) sed ipse potius mortis articulus, habeo persuasissimum. At enim vero perlustranti saepius praecipua praecipuorum Theologorum cum compendia, tum systemata mirum fuit visum, nec quaerere non potui, qui fiat, vt tanti momenti rem fugitiuo, non dicam, plane sicco praetereant pede et vel nulla in medium proferant oracula, quae dicuntur classica, vel ea allegent, quae, nisi omnino non euincant euincenda, dubiae saltem sunt interpretationis, g) vel denique ea, neruo probandi quae non destituuntur, haud pro eo, ac decet, explanent, enodent.

Quae sane est causa, quam ob rem pro concione sacra, vbi grauior huius rei probatae et vindicatae applicatio maximi est ponderis, dicta a plurimis citentur minus sufficientia, vel argumenta ex solis sacris arcescantur cantionibus, quum tamen nostro tempore, quo fidei salutaris contentui fere vbique locorum fax praefertur, eidem omnes occludendi sint aditus et adimendae cauillandi occasiones.

Praeter vero ea non minus fui miratus, quod nostra aetate, qua beneficio cultioris philosophiae et reuelationis lumine collustratae multa ante complicata nunc explicata et praecipue in rationes, quas dicunt ob-

A 2

iectiuas

e) Longe alio sensu spem statuit meliorum temporum vir, dum viueret, celeberrimus et nunc beatae memoriae PHIL. IAC. SPENER et in piis desiderijs et in scripto peculiari, quod insignitur: *Die Behauptung der Hoffnung fünfteiger besserer Zeiten*. Quae inde mora fuit lis, eius historiam recenset LOESCHERVS in dem vollständigen Timotheo Verino, P. II. c. X. §. 4. 5. p. 213 sqq.

f) Quam vehementer ea de re sine superioris et initio nostri seculi fuerit disputatum, testantur commentarii de rebus in ecclesia gestis. Vid. interea CHRIST. REINECCII *Boesiansmus per responsa theologorum condemnatus*, Lips. 704. 8. et eiusd. *de termino gratiae peremptorio controuersiae epitome*, ib. 703. 4.

g) Quem fugit, argumentum plerumque duci ex Ecclesi. c. XI. c. 3. vbi verba ita redduntur: *si cadit lignum ad austrum, aut ad aquilenem, in quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit*, quum tamen GROTIUS et alii interpretes monuerunt, longe alium esse sensum?

iectivas plurimarum rerum fuit inquisitum, idem hoc, ad hancce quod attinet doctrinam h) non de industria tentatum fuerit. Vnus profecto quisque, me vel non monente, perspicit, stabilito hoc principio,

- I) decantatum illud ἀποκατάστασις πάντων corruere commentum ideoque de infernarum poenarum aeternitate haud esse disceptandum,
 II) Pontificiorum somnia non de purgatorio solum, sed de limbo etiam, ut vocatur, patrum euanescere atque etiam alias de statu animorum post mortem lites facillimo posse componi negotio. Quod si enim non nisi fides in hac vita iam producta ad perpetuam post mortem nanciscendam requiritur felicitatem, illa autem fides mortuo, teste sacra scriptura, impertitur nemini, ecquid opus est loco ad purgandos animos accommodato? quomodo ante iam mortuis, quam noster seruator homo natus redemptionis opus perficeret, fides donari potest? quid vetat denique, quo minus mens fide ornata statim a morte felicitate fruatur haud interpellanda?

- III) abusum tandem infinitae per se gratiae impediri et plures fortasse, eiusmodi spe praecis, de salute, dum viuunt, obtinenda fore sollicitos. Quam multi enim nostra reperiantur memoria, qui, controuersiam licet ipsam minime aequa lance ponderare queant, ambabus tamen arripiunt rem tam exoptatam, sermones satis testantur eum illis instituti. Iam quidem absurdam agendi rationem manu quasi tenere possunt, ex eiusmodi credulis si quaeras, vtrum quadraginta, quinquaginta pluriumue annorum vitam, in qua genio indulgere possint suo, mille pluriumue annorum poenae eique grauissimae velint praeferre? Sed hic quoque sero sapiunt Phryges et in maximi ponderis re haud secus agunt, atque illi, qui, ut dictitant, edunt, quae bene sapiunt et ferunt, quae possunt.

Itaque haud abs re videtur esse, huius rei ut faciam periculum, non perinde ac si sim is, qui omnia ad viuum queat refecare, quippe quem sanctiorum veritatum alioquin amantissimum ab hoc studiorum genere saepius reuocant muneris rationes, sed, edito qualicumque specimine, ut diuiniore disciplinae peritiores publice rogatos velim, ut, quod quidem ipsorum est acumen, consummata exhibeant et perfecta, quae ego tantum inchoata sum propositurus atque adfecta.

In

h) Omnino requiri eiusmodi rationes, apparet ex quaestione LICHTSCHEIDII in dem Sendschreiben an den D. Fecht.

In quibus autem periclitandum arbitror, eorum primum est, mortem esse terminum gratiae ratione hominum a Christo eiusque verbo abhorrentium supremum, monstrare. Cum igitur vox *gratiae* admodum sit ambigua i) tamquam in limine erit monendum, *gratiam* hoc loco esse *supernaturales Spiritus sancti operationes propter salutis recuperatorem ad peccatoris spectantes emendationem*. Terminus quoniam ingenere, *ulterioris*, sicut docent philosophi, *realitatis est defectus*, cognitu erit proclive, *terminum gratiae peremptorium* k) illud temporis esse punctum, l) *ultra quod, ut celeberrimum GVNNERVM m)* sequar, *gratia diuina conuertens homini non offertur (ex iusto iudicio)*. Per mortem denique intelligitur *omnimoda motuum vitalium et arbitrariorum cessatio* eamque ob causam *interruptum animi cum corpore commercium*. n)

Vt vero liquidius constet, quid hac de re sit statuendum, haud erit alienum, meminisse, rationem sibi relictam plane nihil certi definire, utpote quae, sperare quamuis iubeat a benignissimo numine naturae vires superantem mentis suapte vi, teste experientia, ad quaelibet grassantis vitia emendationem, tamen ne modum quidem illius consequitur coniectura, nedum terminum, quo usque eiusmodi correctio sit exspectanda, ominetur; quum altera ex parte, sicut perspicit, malum morale a sanctissimo omnium rerum opifice originem omnino non ducere, ita quoque videat, fieri posse, ut deprauationis status emendari omnino nequeat,

A 3

- i) De diuersis huius vocabuli significationibus vid. Summe venerab. GVNNERI *Institut. Theologiae dogmaticae*, p. 590 sqq. et acutissimi A. WEBERI *Uebereinstimmung der Natur und der Gnade*, in dem ersten Theil.
- k) Quae quidem vox in primis sollemnis *iuris peritis* est, qui persaepe loquuntur de *termino, citatione, edicto*, rel. *peremptoriis* et quorum ex schola transit ad usus doctrinae sanctioris.
- l) Videri quidem possint ii, Boeslanismum qui confutatum iuerunt, hanc eandem simul rem dedisse satis euictam, sed, meo vel iudicio, quod quidem est vltimatissimum in eiusmodi *controuersis*, sicut speciatim immortalis BAVMGARTENIVS in peculiari dissertatione de patribus ostendit, versati potius sunt in refellendo errore, quam in confirmanda opposita veritate.
- m) In libro iam laudato p. 854 ubi tamen hac de re nihil fere addit, nisi: *ergo terminus gratiae peremptorius non datur in hac vita*.
- n) Conf. b. A. G. BAVMGARTENII *Metaphys.* §. 776 et laude quauis maioris REYSCHII *Introductio in Theol. reuel.* §. DXCVIII, p. 1096.

nequeat, nec a iustitia summi legislatoris abhorrere, sed potius exigi, aeternae ut constituantur poenae: id quod cum multis aliis egregie ostendit vel post fata superstes REVSCHIVS. o) Fingamus vero, collustrari quodam modo rationem p) reuelationis diuinae beneficio, nihilo allucinabitur secius et, nisi omnis futurae cum praesenti vita perspicatur nexus, coniiciet forte, iudicium tandem extremum huncce fore terminum.

Quae cum ita sint, facile patet, nihil, quo confugiamus, superesse, a sanctis si discesserimus paginis, e quibus hinc dicta potissimum erunt depromenda, id, in quo rei vertitur cardo, probantia, eorumque deinceps ope collustrata ratio rationes perquirat et inuestiget a nexu rerum petitas, cur nimirum numen sapientissimum, cuius nunquam, ut aiunt, stat pro ratione voluntas, hunc nec alium operationum gratiae finem voluerit constitutum.

Age dum, breuiter quidem et strictim, at accurate et, quoad eius fieri potest, exquisitè praecipua conferamus oracula, quibus demonstratam dare solent hancce veritatem diuinarum litterarum periti! Agmen quasi ducat e foederis antiqui monumentis Dauidicum illud Ps. VI. v. 6. כִּי אֵין בַּמּוֹת זְכוּרָה i. e. nam non in morte memoria tui, in orco quis confitebitur tibi? Quae antecedunt, satis si ponderentur et quae sequuntur, in aprico positum videtur, Dauidem malefactorum stimulatam conscientia et grauius de peccatis dolentem ad numinis misericordiam confugere tamquam ad aram. Precibus autem, ut ita dicam, armatis illud ad veniam ipsi concedendam adducturus, rationem his verbis addit grauissimam, fore scilicet, ut, quae sibi vitam adhuc viuenti daretur, se, exonerata per fidem conscientia, consolandi, ad frugem redeundi et verbis pariter atque factis gratissimam testificandi mentem, mortuo et in tartarum detruso, auferatur facultas, et, quum periculum sit in mora, se non posse non ipsius efflagitare, quoad sperari queat, benignitatem.

Equidem non ignoro, partim horum verborum ab Hypnopsychitis, qui dicuntur, ita detorqueri sensum, ut ex hoc oraculo tamquam fundamento exstruere velint ficulneum praesumptae opinionis suae aedificium

o) In *Introductionis* iam nominatae §. CCCXLII. p. 603, collatis potissimum scholiis.

p) Diuersos rationis, quatenus rerum nexus est perspicientia, gradus optime distinxit non de re sacra minus, quam de vniuersa philosophia immortaliter meritus CANZIVS in Part. IV. p. 416 sqq. der Betrachtungen über die Augsp. Confession.

ficiū, partim eadem explicari vulgo de memoria numinis et confessione ea, quae a mortuis non perinde, atque a viuis, oris ope et actionum externarum queat propagari. At vero quam parum altera ex parte proficiant inde priores, ostendunt acutissime, vt solent, §) saepe laudatus CANZIUS et celeberrimus WAHRENDORFFIUS, q) ex altera autem, quanti momenti sit ratio, qua numen ad gratiam sibi tribuendam commotum vult Dauides, non video, nisi de conditione menti nondum emendatae post mortem subeunda, verba haec, vti iam memoratis locis probatur, fuerint intellecta.

Alterum, quod huc pertinere videtur monimentum, legitur Ecclesiast. XII. Cuius quidem capitis quod ad multiplices easque improprias attinet loquutiones, earum in praesentia nihil moror expositiones, id tamen monere licebit, totum in eo esse Salomonem, omnium sapientissimum regem, vt iuuenes ad studium pietatis erga Deum excitet tempestiuum, propositis cum allatis a senectute impedimentis, tum vero mutatione ipso obitu subeunda, quae quidem ratio maximi est ponderis. Quam ob causam addit commate §. בִּי הֵלֶךְ הָאָדָם אֶל בֵּית עֲלָמוֹ *quia abiens homo in domum aeternitatis suae.* Haec autem verba, vt iure propemodum suo affirmat laudatissimus WAHRENDORFFIUS r) de statu perenni sunt accipienda, praesertim, cum iam v. 7. iudicii s) quod verendum sit, faciat mentionem et comm. 8. doceat, pulueri inde a morte ad terram, *menti autem ad Deum esse redeundum* i. e. vel impios, quod quidem viuentes nisi verbis, tamen factis significant, numinis non amplius praesentiam in dubium reuocare posse nec eius sanctissimae refragari voluntati. Quibus ita comparatis, patebit, argumenta nisi pondere destituta esse debeant suo, ex hoc loco effici, vt vita functis gratia conuertens offeratur nulla.

Quoniam vero in deligendis quoque argumentis, quemadmodum FLINIUS de lectione librorum dicit, non, quam multa proferantur, sed, quam multum, refert, mittamus nunc veteris testamenti oracula et quia
char.

q) Prior in libro cit. P. VIII. p. 71. 72. posterior autem in commentatione, quae inscribitur: *zwote Betrachtung über die Seele und den seligen Zustand derselben nach dem Tode*, p. 147. Ambo in eo versantur, vt argumenta ab Hypnopsychitis e sacro codice arcessita refutent.

r) Loc. cit. p. 156. coll. p. 129. omnino, quem conseras, digno.

s) De iudicio, quod particularis nomine venit, in posterum, quae decet, dicentur.

chartae angustia vetat, plura addere loca, praecipua e noui foederis commentariis depromenda, simulac, quae numinis erit gratia, data fuerit facultas, prosequamur, in praesentia rerum finis, ob quem haec potissimum qualiscumque meditatio fuit euulganda, habituri rationem.

Sunt quidam nostri Lycei ciues, Deo volente, studia academica adgressuri, qui, quemadmodum numquam non a nobis de futura olim vita fuerunt admoniti, sic vel nunc de rebus eo spectantibus erunt oraturi. Facto in *sanctiori*, quod hic loci floret, *concilio* profectuum periculo et data nobis, eos cum omnis felicitatis voto dimittendi, copia, restat modo, publice scholam valere vt iubeant nostram. Dicturi itaque sunt die crastino ordine, qui sequitur:

ERNEST. CHRISTOPH. WALCH, Meiningenses,
BERNHARD. GEORG.

fratres aetate pares et, siue ingenii praestantiam spectes, siue, quos fecerunt in litterarum studiis, progressus, siue morum denique elegantiam, simillimi, adeo, vt, quemadmodum non *stirpi* solum, quam ornant et ornari sunt, et *paternae* et *maternae*, sed nobis etiam praeceptoribus de iis est gratulandum, optima sic quaeuis de se iubeant sperare. Cuius rei specimina vt edant, orationum argumenta delegerunt, delecta disposuerunt dispositaque elaborando ita adornarunt, vt lima parum fuerit adhibenda. Canet itaque prior *ver, futuram iustorum referens resurrectionem*, carmine heroico latino, eoque recitato, gratias, quibus agenda sunt, aget, quas poterit, maximas poemate diuersi generis teutonico. Posterior autem probata sermone gallico *animorum immortalitate*, ode sapphica eaue latina mentem profitebitur gratissimam. Quos excipiet

IOAN. IACOB. MAIFART, Salisundanus, quippe qui iuuenis ingenii haud contemnendi nec, quoad per eius rationes fieri licuit, inculti morumque culturam admittentium de *Platonis acerrimi animorum immortalitatis defensoris vita* sermone exponet patrio et versibus deinceps germanicis vale Lyceo dicet supremum.

Quid igitur erit quaeso, quod pluribus ab iis contendam verbis, qui *MAECENATES*, litterarum mansuetiorum *FAVTORES* et *AMICI* ad excitandos artium cultores non abs re seponi arbitrantur grauioris momenti negotia, frequentes huic *Panegyri* vt adesse velint auditores? Sunt eruntque in posterum, id scholis qui tribuendum putant iisque, gratissimos et docentes et discentes futuros esse, profiteor. P. P. Meiningae d. VII. Kal. Mai. MDCCLXIII.

65 E 12

